DUUMVIRIS AMPLISSIMIS

THEOLOGIS CLARISSIMIS

C. R. HAGENBACHIO J. J. STÆHELINO

DECEM LUSTRA

IN DOCENDI MUNERE FELICISSIME ET FRUCTUOSISSIME PERACTA

CONGRATULANTUR

UNIVERSITATIS BASILIENSIS

COLLEGÆ PHILOSOPHI

V IDUS SEPTEMBRES MDCCCLXXIII.

INSUNT

OBSERVATIONES DE DRUSI ATQUE MÆCENATIS EPICEDIIS DEQUE TACITEO DIALOGO CRITICÆ

SCRIPSIT

J. MÆHLY.

TYPIS CAROLI SCHULTZII ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

DUUMVIRIS AMPLISSIMIS

THEOLOGIS CLARISSIMIS

C. R. HAGENBACHIO J. J. STÆHELINO

DECEM LUSTRA

IN DOCENDI MUNERE FELICISSIME ET FRUCTUOSISSIME PERACTA

CONGRATULANTUR

UNIVERSITATIS BASILIENSIS

COLLEGÆ PHILOSOPHI

V IDUS SEPTEMBRES MDCCCLXXIII.

INSUNT

OBSERVATIONES DE DRUSI ATQUE MÆCENATIS EPICEDIIS
DEQUE TACITEO DIALOGO CRITICÆ

SCRIPSIT

J. MÆHLY.



TYPIS CAROLI SCHULTZII ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

De Drusi epicedio.

Elegiam de morte Drusi qui non præoccupato opinationibus animo legerit magnopere mirari necesse est qui factum sit ut duumvirorum judicii elegantia non minus quam interiore veterum linguarum cognitione præ ceteris conspicuorum non modo suspicionem nullam moverit sed summum assensum tulerit, quorum alter, Nicolaus Heinsius, non dubitavit carmen »longe præstantissimum »vocare«, alter, L. C. Valkenarius, vel maxime »majestatem Romanam« in eo regnare judicavit. Quos quo tandem animo laturos esse existimabimus, si nostris temporibus existere viderent qui non modo poeticas virtutes tantum non omnes ab illo foetu abjudicarent sed vel e consortio genuinorum venerandæ antiquitatis operum eum eximerent et ad noviciæ cujusdam ætatis his atque similibus ingenii lusibus indulgentis specimina detruderent? Nec tamen eosdem quo erant veritatis sensu atque studio diutius refragari suamque præfractius opinionem defensuros esse putaverim, modo liceret iis argumentorum vim atque gravitatem examinare quibus nostra ætate Mauritius Hauptius elegorum illorum et latinitatem quam exhibere videbantur incorruptam et praetextam antiquitatem labefactare aggressus est. Neque is ausis excidit quidquid obloquantur quibus temeraria esse visa sunt, veluti Adlerus in programmate a Bernhardio commemorato hist. litt. latin. p. 469 ed. IV. At hoc ipsum quod dico frustra esse qui pro carminis genuitate pugnent nonne temeriarium est ejus dictum cui, quod fateor, Adleri adversarii disputationem per bibliopolarum rationes minus commodas ne acquirere quidem licuit? Scilicet vero invento et ad oculos quod dicunt demonstrato facile neglegere nobis videmur eorum posse argumenta quæ, utut scite et cum specie quadam veritatis inventa, tamen ad sententiam nostram infringendam non amplius valere possunt. Non hoc dico, Hauptii rationes *omnes* usquequaque ita esse munitas ut omnem confutationis spem eludant, concedo elevari interdum posse aliis oppositis auctoremque carminis qualiscumque est in quibusdam reprehendi quæ minime reprehensione digna sunt: at neglexit quoque Hauptius et culpare omisit quæ vel maxime in vitiorum numero censenda erant; in universum vero judicanti, ubi in singulis non hæseris, tam est ejus argumentatio quam et rei metricæ et grammaticæ et vero etiam historiæ superstruxit, ad persuadendum apta et efficax, ut assensum omnino extorqueat.

In quem, fateor, non opus erat ut obtorto collo traherer, si quidem nulla unquam admiratione carminis me abripi patiebar et ab Ovidiana quam illi crassa Minerva deprehendere sibi videbantur elegantia carmen nostrum mirum quantum distare nullo non tempore statuebam: ita omnia ad auream illam Nasonis ubertatem et limpidam ut ita dicam venustatem collata sordent et jacent, ita præ dictionis luminibus quibus summus poeta sua distinxit pallent in nostro vel scite et cum acumine dicta pleraque, ita præ nativa ingenii felicitate et facilitate qua Ovidius et ut quisque ei proximus est excellunt artis sive potius imitationis neque interdum non operosissimæ et molestissimæ vestigia apparent. At longe alia est res si ab omni comparatione cum antiquitatis operibus discesseris nostrumque sui temporis modulo metiaris. Ubi confitendum est auctorem et metri scientia et versuum pangendorum arte et vero etiam (si a paucis quibusdam nec sane levissimis discedas) sermonis puritate satis conspicuum esse. Neque enim quod versu 375

regna deæ immitis parce irritare querendo

vocabulum iambi pedis mensura comprehensum cum subjecta vocali coalescere jussit, insciti est poetæ metrumve ignorantis, si vel maxime verum esset quod Lachmannus observavit Ovidium ab hoc coalescendi genere sese continuisse; et nescio an non unico illo exemplo hanc sibi licentiam noster indulserit, sed et altero, versum dico 349

imposuit te alto Fortuna locumque tueri
jussit honoratum

ubi aut valde fallor aut structuræ concinnitas postulat: imposuit te alto Fortuna *loco hunc*que tueri seqq. Permirum est, Ottonem Gruppium cum rerum omnium quæ pulcri quodam sensu percipiuntur tum maxime poeticarum elegantiarum arbitrum haud contemnendum, postquam et alibi et libri cui inscriptus est Minos pag. 494 rationibus Hauptii obsecundandum esse scripsit, nuperrime Hauptio et vero etiam sibi ipsi adversarium exstitisse in libro cui Aeaco titulus est (vide p. 156 seqq.). Id quod eo magis mirum debet videri quod Gruppius in libro de Latinorum elegia conscripto (p. 389) ulterius progressus ipso quem nunc inpugnat Hauptio etiam disticha illa quæ sunt de Mæcenatis morte contendit ab auctore nescio quo neoterico profecta esse. In universum tanta Gruppius in libro nuperrime edito grassatur in bonum Horatium licentia, secando, urendo, cum pessimis optima quæque extirpando, ut qui eum audiverit de Hauptiana nostri carminis crisi querentem non possit non recordari Horatiani illius: quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Nec vero eo usque progredior ut cum Luciano Muellero dicam, qui contra Hauptii rationes sentiat eum nihil sentire, nec opus erat ut Gruppius huius hominis, Muellerum dico, auctoritati vel tantillum tribuendum censeret. Ea est enim Muelleri, hominis ad diffamandam philologorum humanitatem nati, indoles ut quum

multo minus ingenii dotibus quam linguæ virulentia morumque insolentia valeat, a judicii vero elegantia et ab omni sapore poetico misere sit destitutus, tamen qua est putida ingenii arrogantia solus sibi sapere videatur. Quem in profliganda barbarie alterum pro Dii Achillem — is enim sibi videtur — ceteri qui norunt omnes Thersitem potius procul a se arcent. Qui quum dicat (ut ad rem redeam) »in versibus nostri carminis nihil inesse quod arguat scriptorem ab antiquitate alienum, nec omnino quidquam nisi hoc partim sat politis, aliquando durioribus hunc scriptorem uti numeris, quam fere admittantur ab eis qui docta imitatione et alieno sermone componant versus,« recte quidem dicit, sed addendum erat, ni fallor, Ovidius et qui illius sive artem sive aetatem sequuntur poetæ quum in elisionibus admittendis præ antiquioribus poetis parcissimi sint, nostrum poetam, quippe elisionum vel fortissimarum largam sibi copiam indulgentem, hoc ipsa re suspicioni ansam dedisse. Ceterum fatendum in hac quoque quæstione, quæ est de epicedii Drusiani genuitate, ex doctrinæ copiis non posse omnia decerni, redire haud pauca ad judicii elegantiam, idque judicium (gustum nostrates dicunt) non tam certa ratione et disciplina niti quam nativo quodam veri pulcrique sensu a quo qui rem criticam exercent philologi haud pauci, qui vel maxime in poetarum explicatione invitis Musis versantur, mirum quantum abhorrent. Quam rem ut longius persequar, non est hujus disputatiunculæ. Igitur Gruppius ut sententiam suam de genuina carminis nostri aetate stabiliat nonnulla affert quæ, quod exquisitiorem rerum notitiam præ se ferant, falsario recentioris nescio cujus sæculi vel doctissimo vix ad manum fuisse, soli illorum temporum æquali innotuisse speciose argumentatur. Et hoc argute addit, qui tanta industria doctrinaque versatus fuerit in rimandis rebus a communi notitia remotioribus philologus nescio quis sæculi quarti et decimi, hoc vix admissurum fuisse, ut in quibusdam locis (quos Hauptius exagitavit, velut *turbam* bonorum v. 79 *fortunam* nocendi v. 47, alios) a dicendi cosuetudine recederet, immo viam a probis latinitatis auctoribus munitam atque tritam fuisse ingressurum. Fuisse igitur auctorem eis quæ persequatur temporibus æqualem, non tam poetam perfectum quam elegantem hominem et qui primis quasi labris poeticam nec tamen crassa prorsus Minerva attigisset. Quid quod equitum ordini adscripsit nostrum, versus 201 particula »*adsumus* omnis eques« ingeniose in hanc rem usus? Ingeniose quidem et speciose, sed, ut credo, minus vere. Hanc enim prudentiam quis falsario vel obtusissimo, qui æqualem se simulat quibus libet hominibus vel rebus, deesse arbitretur ut sibi ipsi partes quosdam in illis rebus locumque tribuat? In iis vero quæ a consueto dicendi more recedunt ut sunt tolerabilia ita quædam ferri nequeunt et vel Gruppio auctore hanc tantum explicationem immo excusationem habent *ut ab interpolatore sint profecta.* Jam vero si quæcunque displicent in carmine interpolatoris culpa facta esse judicamus (in eo præsertim quod vetustioris codicis manuscripti auctoritate nititur nulla), nescio ad nullum non opus quod

vel maxime adulterini fetus speciem exhibeat, antiquitati possit vindicari. Igitur, quæ Gruppius protulit, partim leviora sunt præ contrariorum argumentorum ponderibus, partim ita constituta, ut æque bene in contrariam partem flecti queant. Quodsi qui fortasse mirantur me quantumvis fidem carminis impugnantem tamen quædam eius emendaturum, immo unum locum v. 283 seqq. transpositione curaturum, quod quam rationem habeat in scriptione scilicet neoterica et temporum librariorumve injurias minime passa speciose quærentes, hoc respondeo, posse vel unius sæculi decursu permulta casu, posse vel brevissimo temporis spatio de industria mutari plurima. Quorum utrum factum sit in carmine nostro (cujus N. Heinsius quattuor vidit codices manuscriptos), non decerno. Igitur lubet in sequentibus tum Hauptianæ argnmentationis pondera quibusdam momentis corroborare, tum ubi nimis ille severum censorem agere visus est, poetæ nostro patrocinari, præterea locos quosdam qui labem traxisse mihi videntur ad suum nitorem emendando revocare. In quibus quod postremo loco posui possit nescio quibus severioribus inter philologos et morosioribus snpervacuum videri et otio litterato haud admodum dignum, utpote in re ab antiquitatis ambitu remota. Audio, at linguæ germanicæ gnari quod in suis poetis faciunt quos aetas vel proxime elapsa inter vivos vidit, eccui nisi philologo periclitandum est in iis, quæ latino conscripta sermone, quamvis non ad cascam antiquitatem recedant, tamen aliquot sæculorum ætatem tulerunt? Igitur haud multum ab initio v. 5 a 6

nec tua te pietas distendit amore duorum
nec *posito* fili nomine' dicis »uter«?

prorsus infacete dictum est *posito* quod debebat esse *dicto* sive *audito*. Nec emendatio in promptu est nec metrum arbitror qualemcunque admittere. Igitur poetam dormitavisse statuendum est. Quod quamquam vel divino Homero accidisse vix opus est ut ab Horatio edoceamur, tamen ceteris punctis suffragantibus facit ad augendam falsi suspicionem. At vero proxime sequentibus duobus versibus 7 et 8

Et quisquam leges audet tibi dicere flendi,
et quisquam lacrimas temperet ore tuas?

nolo poetam insulsitatis crimine onerare, ubi tam proclivis est emendatio *Ecquis jam* seqq., utroque loco. Et pervelim (modo res nobis sit cum vetere quodam poeta) liceat per metrum versum 16

et titulum belli *dux* duce fratre tulit

aliter constituere, siquidem casum nominandi in similibus vix invenias apud probæ latinitatis auctores, ut vel hoc indicio fides poetæ suspecta reddatur. Versu 24 (nam liceat nullo alio

nisi versuum ordine observato carmen decurrere) versu igitur 24 non nego ferri posse

et quicunque coli *jus*que piumque deos

quanquam fortassi prætuleris, quod magis est ex consuetudine in ejusmodi formulis fere observata: et quoscunque coli *fasque* piumque deos. At vero prorsus nulla causa erat cur et Heinsius et alii tantopere offenderent in versu 43

quodque pudicitia est tantum inviolata bonorum,
ultima sit laudes inter ut illa tuas? (scilicet quid tibi profuit?).

Nihil enim corrigendum neque, quod Heinsio placuit: quidque pudicitia tantum *cumulasse* bonorum, neque quod Hauptio: quodque pudicitia est tantum *cumulata* bonorum, substituendum. Modo leviore interpunctione post inviolata incidas orationem, omnia sana erunt:

quodque pudicitia est tantum inviolata, bonorum
ultima sit laudes inter ut illa tuas —

ubi *bona,* quod sæpissime, idem valent atque *virtutes,* et *inter laudes tuas bonorum* hypallages figura poetis maxime frequentata dicitur pro *inter laudes bonorum tuorum.* Jam vero considera mecum locum omnium mea quidem sententia gravissimum ad culpandum novicii poetæ ingenium, versus dico 57 a 58

quid si non habitu sic se gessisset in omni,
ut *sua non* essent invidiosa bona?

Hoc enim vult poeta, sic per omnem vitam sese gessisse Liviam, ut digna fuerit cui omnes bona inviderent (vernacule dicas »dass alle sie um ihre Vorzüge beneideten«), itaque — hoc enim inde vult effici — fortunæ acerbitatem indigne in ea fuisse grassatam. Quod vero poeta dicit sententiam efficit plane contrariam repetita negatione *non.* Dicendum erat aut: Quid si non habitu sic se gessisset in omni, ut bona essent invidiosa? aut saltem *et* non essent invidiosa bona. (Tum scilicet fortunae posse condonari acerbitatem)? Et ut concedam, ita scripsisse poetam ut postremo loco posui, tamen restaret fœdissima labes quam nullis machinis elueris, scilicet pronomen possessivum *sua*, ubi leges grammaticæ requirunt, immo flagitant demonstrativum *ejus.* Igitur quoquo te verteris poetam deprehendes turpissime oscitantem. In iis quæ proxime sequuntur:

Cæsaris adde domum, quæ certe, funeris expers,
debuit humanis altior esse malis.
Ille vigil, summa sacer ipse locatus in arce,
res hominum ex tuto cernere dignus erat,
nec fleri ipse suis nec quemquam flere suorum —

horum igitur qui medii sunt versus sensu omnino cassi sunt, nam quæ est hoc loco Cæsaris

Augusti communio cum ceterorum rebus hominum? quas cur erat dignus qui *ex tuto cerneret?* deinde, cernat nec ne, quid hoc ipsum ad Drusi mortem? Acquiescerem, si hanc fere poeta sententiam vel similem procudisset:

Ille vigil summa sacer ipse locatus in arce,
rex hominum, *in* tuto *degere* dignus erat.

Sed manum cohibeo, non enim tam emendatione opus esse quam poetam tumoris atque ampullarum reum faciendum censeo. — Agrippa, Augusti genero, vix inhumato

perficit officium funeris ecce soror.
Ecce ter ante datis iactura novissima Drusus
a magno lacrimas Cæsare quartus habet (v. 69 seqq.).

In his falsum esse vidit Lipsius *perficit officium*; nec erat difficile videre. At quid ejus conjectura *percipit* lucremur, equidem non video, qui emendandum esse *præbuit* officium censeam. Scilicet Octavia soror fato functa Augusto imposuit necessitatem, ut funere eam curaret efferendam. At vide qua poeta ratione non tam scilicet ornata quam putida et affectata moriendi casum a consanguineo quodam defletum effert! Hoc dicendi genus fallor aut habet aliquid novicii saporis: Drusus a magno lacr. Cæs. qu. habet. Jam vero quæ sequuntur verba *ecce ter ante datis* quomodo quadrent in ambitum enuntiati fateor me non intellegere, quum optime et per grammaticam et per metrum licuerit *en tribus accedens*. . . . v. 75 seq.

cedis et incassum tua nomina, Druse, levantur,
ultima sit fati hæc summa querella tui.

Mirari non satis queo horum versuum priorem Heinsium ne uno quidem verbo tetigisse, quamvis meo quidem judicio inquinatissimus sit. Ne id quidem prorsus certum, recte scripturam *caedis* et editionibus quibusdam et vero etiam codicibus (omnes autem hujus carminis nonnisi post artem typographicam exarati sunt) propagatam, mutatam fuisse in *cedis.* Sed recte factum esto: quid, quæso, est *nomina levare,* nisi addideris *quousque* leventur, corrigendo »*cedis* et *in cælum* tua nomina, Druse, levantur?« Quanquam ne hoc quidem satis placet neque memini legere „in cælum levare« pro eo quod est »ad caelum tollere«. Sed ut salvum sit vocabulum *incassum* (et videtur sane aliquod ejusmodi ad sententiam desiderari quod vanas superstitum querellas inexorabili mortis necessitati ex adverso ponat) nihil aliud videtur emendando extricari posse nisi: cedis et incassum tua nomina, Druse, *vocantur* — quod quamvis a parte poetica parum commendabile tamen fortasse pro nostri carminis conditione verum est.*) Sequitur paullo post (v. 79 seq.)

---

*) Video jam Burmannum ***vocantur*** suasisse, Hauptium vero emendationem dissuadere sensumque ver-

Multi in te amissi, nec cui tot turba bonorum
omnis cui virtus contigit unus eras —

ubi merito *turba bonorum* Hauptio offensioni fuit, idem vero prorsus immerito hos versus, utpote salvos ratus, intactos reliquit, omnino enim, ut proba sententia evadat, scribendus est.... nec cui tot turba bonorum,

omnis cui virtus contigit *ullus erat*

id quod poetam scripsisse puto. Quid vero substituendum sit *caecis crinibus* v. 98

non animam adposito fugientem excepit hiatu
nec traxit caecas per tua membra comas —

nescio, hoc scio, exemplorum nubem quam Heinsius adduxit, ut emendationem *sectas* (sive *cæsas* quod dicit »Mediceum librum« exhibere) commendet, nihil ad nostrum locum facere, cui dum vera scriptura inveniatur mederi studeo scribendo: nec traxit *canas* per tua membra comas; ita enim loqui licebat in feminea causa antiquo poetæ, vel antiquitatem simulanti, illibata prorsus et salva in sexum muliebrem reverentia. Et poterant certe, quo tempore obiit Drusus filius, Liviae matri cani esse. — V. 103 seq.

Te queritur casusque malos irrisaque tales
accusatque annos ut diuturna suos.

Lectio foede corrupta, cui salutem fert sane Heinsianum *irrisaque vota*, sed erit cui nimi remotum a litterarum ductibus esse videatur. Si ferri possit nudum *irrisa* participium non accedente ablativo quodam quod dicitur instrumenti (et arbitror posse) velut *fato*, subeat scribere: irrisaque *tabet*. Infacete dicta sunt, quanquam ab alliteratione quæ dicitur commendationem habent illa (v. 115)

erumpunt iterumque gravant gremiumque sinumque
effusæ *gravidis uberibusque* genis.
In vires abiit flendi mora!

— At probant, quantus noster imitandi artifex quæ lenocinia orationis ornandæ aucupatus fuerit ut antiquitatis opinionem carmini suo conciliaret; sic alliterationem quoque agnosces in proxime prægressis v. 109 sic *p*lumosa novis *p*langentes *p*ectora *p*ennis. Modo præ illo studio genus dicendi simplex atque lucidum minus neglexisset! At enim quale est illud *in vires abiit flendi mora*! Scilicet tam contortum atque a vulgari ratione alienum ut neque in nostro poeta tolerabile videatur et emendandi conamina nobis fere invitis eliciat, velut *inque vices jam fit* flendi mora. — Vitium quoque subesse judico verbis versus 125

siculi hunc esse statuere: Removeris, Druse, e conspectu hominum et frustra sublato c amore nomen tuum adpellatur. Hoc si admittimus, nihil non ex quolibet versu poterit extorqueri.

»tumulo portaris et igni«, quippe portandi verbum neque tumulo neque igni satis aptum est Sequentem versum considerantibus

haec sunt in reditus dona parando tuos

veri non absimile videbitur scripsisse nostrum: tumulo *donaris* et igni. — Legimus v. 141 seq.

quos primum vidi fasces, in funere vidi

et vidi *eversos* indiciumque mali — at, opinor, Livia, cujus sunt verba, fasces dixerat *inversos*, quod erat moris in funeribus Romanorum. Ain vero? Nonne iidem fasces dicuntur *fracti* versu 177: consul init fractis maerentem fascibus urbem? Ita quidem; igitur recte se habet versus superior, ego vero utrumque locum adduxi, ut novo argumento demonstrarem nostrum poetam non nimis esse antiquum, quippe qui morem illum Romanorum vertendorum sive invertendorum fascium (Tacit. Annal. III. 2) fallente memoria commutaverit cum alio quem medii aevi temporibus potius viguisse et vel nostra aetate passim usurpari constat. — V. 167 seqq.

Quin etiam corpus matri vix vixque remissum

exsequiis caruit, Livia, paene suis.

Quippe ducem arsuris exercitus omnis in armis

inter quæ periit ponere certus erat. — En dicendi genus prorsus abnorme et plus quam contortum *ducem arsuris in armis ponere inter quæ periit!* Non dico, aliud esse *inter armo* (h. e. inter pugnam) perire et *in armis* (h. e. armatum) perire, neque nisi *in* armis quemlibet componi posse, hoc saltem quem voluit poeta sensu, at *arsuris in armis ponere* pro eo quod est *simul cum armis comburere* quis unquam poeta tanta fuit perversitate ut dicere non erubuerit? Neque nostrum dixisse arbitror. Igitur haud multum aberat quin corrigerem

quippe ducem *arctois* exercitus omnis in *arvis*

intra quæ periit ponere certus erat. — Urbem Romam in tanto tamque communi omnium luctu gemere miserabilemque vultum induere (v. 181) consentaneum est, cives vero cur incertos et pavidos (v. 183. 184) faciat poeta, non bene intellegitur, qui tamen ut sibi constaret dicere debebat et, ni fallor, dixit v. 183 incerti clauduntque domos *trepidantque* per urbem pro eo quod legitur *strepitant.* — Postquam poeta quales in luctu sese gesserint juvenes, senes, Ausoniae matres nurusque deinceps enarravit, pergit v. 209

Et voce et lacrimis laudasti Caesar, alumnum.

Hoc tu noli credere, lector, dixit enim sine dubio *Tu* voce et lacrimis seqq. Quodcontra restituenda est vocula *et* versui 220. *Et* vox adversis collibus icta redit — ubi legitur at, repugnante sententia, namque praecedit

te clamore vocant iterumque iterumque secundo.

Tiberinus ipse pater a lugendo sese non continuit (v. 221 seqq.) qui

tum salice implexum muscoque et arundine crinem
caeruleum magna legit ab ore manu
uberibusque oculis lacrumarum flumina misit —

ubi ne corrigas *uberaque ex* oculis quod sane et usitatius et vero etiam venustius dictum esset, prohibent supra jam laudata (v. 116) effusae gravidis uberibusque genis — scil. lacrumae; *magnam* autem Tiberini manum fuisse quod versu 221 docemur facile crediderim, at certe multo major erat capitis moles, quamquam caret hoc epitheto. Et recte quidem. Quo friget magis, *manui* additum, neque dubito quin poeta dixerit *madida* manu, id quod sane cum eius dei natura artius cohaeret. En vero deum fluvialem equis vectum, alterum scilicet Neptunum, qui (Iliad. XIII, 23 seqq.) currui biga juncto insidens equorum par ferripedum per maris aequor stimulat. At huic festinatione opus est, tum vero, quod mythorum interior ratio docet, est quaedam equo cum mari conjunctio, deum vero fluvialem praeter hunc nostrum Tiberinum equidem novi neminem per aquas equitantem. Et incertum reliquit poeta — si vera est scriptura — equone insideat an curru vehatur. Immo vero neque equis locus est omnino, neque dedit locum poeta quem versu 229 scripsisse arbitror: sustentabat aquas cursusque inhibebat *earum* (pro codicum scriptura *equorum*). Dices hoc pedestrem magis sermonem decere, neque ipse apud Ovidium ferrem, sed apud nostrum et hic et alibi connivendum est. Fatendum tamen et hoc est, esse ubi noster vel supra antiquorum poetarum dictionem assurgat, velut cum dicit v. 262: pectoraque ingenii magna capaxque domus, cujus metaphorae vix arbitror alterum exemplum inveniri; *domicilium* scio translate usurpari. Hoc vero non vitio vesterim nostro qualicunque auctori quod posuerit v. 275

et tandem trepidos vultus inque illa *ferocum*
invitis lacrimas occidere ora genis —

scilicet *ferocum* genitivi formam pro legitima *ferocium;* puto enim *ferorum* a manu poetae esse profectum.*) Idemque eo inclino ut in praecedentibus duraque per *saevas* vincula nexa manus — »*servas* manus« genuinum esse suspicer. Pergit poeta v. 277

spiritus ille minax — (agitur de Germanis) — et Drusi morte superbus
carnifici in maesto carcere dandus erit.

---

*) Quamquam fortasse ferri possit *ferocum* Genetivus. Quem quum Hauptius tam diu neget (p. 26) latinum esse dum nemo consimili exemplo confirmaverit, praesto est exemplum ex Culice Vergiliana, *agrestum* (v. 21), quam formam si personatus ille Vergilius quidem at reverendae antiquitatis poeta periclitatus est, ferri quoque debet *ferocum. Caelestum* vero (Metam. 1, 150) Ovidianum — ut in hoc acquiescam — habetne potiorem excusationem? Hoc loco moneo, eundem Hauptium immerito crimini dedisse nostro poetae quod » pessime « dixerit v. 339 vix credent tantum rerum cepisse *tot* annos; *tot* scilicet pro *tam paucis.* Prorsus enim similiter Ovidius Metam. libro LX. 25: *verbaque tot reddit* dicere est ausus.

Hoc quid sit, non assequor; laudarem
carnificis maesto *jure domandus* erit. — Sequentia inde a versu 282 turbata sunt et foede luxata, sed optime in ordinem redeunt et pulcherrime decurrunt transpositis duobus versibus, hoc modo:

285 quam parvo numeros implevit principis aevo,
in patriam meritis occubuitque senex.
nec sua conspiciet (miserum me) munera Drusus,
nec sua prae templi nomina fronte leget.
283 adice Ledaeos, concordia sidera, fratres
284 templaque Romano conspicienda foro
289 saepe Nero illacrimans submissa voce loquetur
»cur adeo fratres heu sine fratre deos?«

Igitur non recte Hauptius poetae vitio vertit quod librario erat exprobrandum, nec scio an idem immerito poetam reprehenderit quod minus scilicet latine in comparando Liviae cum Andromachae Euadnesque dolore dixerit v. 319 et 321:

hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axem ...

hoc fuit Euadne cett.; namque in promptu est scribere (quod nostrum fecisse arbitror) *haec* fuit Andromache, *haec* f. E. = talis. Sed missis levioribus non paucis lubet ad finem properare, quamquam in transcursu non possum non paulisper immorari versui 404

tantaque et *immensi* Caesaris icta domus, ubi »quidam ex veteribus codd.« (Heins.) praebent *divini*, ego ex utraque lectione conflata *invicti* eliciendum esse arbitror. Et quod ipse Lucifer malum quoddam portendens solitas destituisse vias dicitur nulloque comparuisse orbe, vix credo poetam v. 409 scripsisse

sideris hoc obitus terris instare monebat
et mergi Stygia nobile numen aqua,

sed potius translate ipsum Drusum sidus vocasse ita:

sideris hoc *obitum* terris instare monebat
et mergi Stygia nobile *lumen* aqua;

nec ferri quidem potest *numen* quod libri praebent, *sideris* vero et *luminis* eadem fere vis, idem tropus. Versibus inde a 411 postquam Tiberium compellavit poeta rursus ad matrem conversus infit v. 417

Tu tamen *ausa* potes tanto indulgere dolori
longius ut nolis *heu* male fortis ali,

in quibus *ausa* sensu cassum est neque invenio quid scribere potuerit noster praeter *ipsa;*

sed restant alia in his versibus profliganda; scilicet *ut* particula vix habet quo referatur nisi scripseris *tantum* (so weit) indulg. dol.; et quum recte desideretur subjectum cujus praedicatum sit *ali* puto pro *heu* legendum esse *hunc*, praesertim quum tunc tantum *heu* locum habere videatur ubi de facto sermo est nec vero de re quam non factum iri speramus. — Liviae quum prae nimio dolore semianimis jaceret

obtulit invitae...... Caesar opem
admovitque preces et *jus* immiscuit illis,

v. 420 seq. At precibus non recte opponitur *jus* sed, ni fallor, *jussa* Caesar illis immiscuit: Finem faciam versu 460, ubi fictum aliquod Drusi simulacrum in matris solatium honores quotquot et in vivum collati sunt et in mortuum enumerans

et sensi (inquit) exsequias funeris ipse mei
decursusque virum *notos* mihi donaque regum

cett. Non intellego quid sibi velit *notos* decursus sentire, *votos* intellego.

Non mirum est, cum Drusi epicedio et olim comparata esse et nunc comparari carmina duo, alterum Maecenatis epicedion, alterum ipsius Maecenatis verba suprema continens, ante Scaligerum in unum conjuncta. De quorum aetate non magis constat quam de illius carminis quod modo tractavimus, tempore; quamquam Hauptio videntur »mediocriter esse antiqua, hoc est aliquot post Christum natum saeculis scripta«. Nec desunt inter duo epicedia similitudines quibus facile evincatur, alterum poetam alteri cognitum fuisse. Quod qui fieri potuerit salva eorum opinione qui Epicedium Drusi ad novicia tempora referunt vel eorum fide qui Maecenatis epicedion medio saeculo XV in Dania inventum esse dicunt, haud inscite Hauptius enucleavit, etsi idem in argumentandi ratione quaedam perobscure ut mihi quidem videtur dixit, velut ubi quaerit: »Putabimusne eum poetam qui Epicedion Drusi scripsit novisse consolationem Liviae eamque.... sibi quasi adrogasse, ut aut nos falsi simus qui hoc carmen ad saecul. XV rettulimus, aut mentiti sint qui epicedion Maecenatis med. saec. XV in Dania inventum esse dixerunt? Ibi quod secundo loco posuit minime facit ad rationem recte concludendam. Cur enim — vel si ad antiquitatem referendus esset auctor Epicedii Drusiani — mentiantur, qui in Dania alterum Epicedium, Maecenatis scilicet, ab Henoch Asculano inventum esse, vere illi quidem, dixerunt? — Nos vero his non diutius immorabimur, sed data opportunitate, argumenti quippe similitudine ducti, aliquot versus hujus quoque elegiae emaculare ut poterimus brevissime studebimus. Ut enim fides habeatur Luciano Muellero, sermonis nitore et versuum elegantia conspicuas esse elegias duas *de Maecenate* ideoque primo saeculo atque adeo non multum post Maecenatis obitum ortas esse opinanti (cujus ille opinionis dubito an non multos asseclas sit inventurus) ea est plerumque sententiarum rerumque

levitas ne dicam futilitas, ut boni dispendio otii in eas accuratius inquirere vix operae pretium esse videatur. Quid quod in altera prioris elegiae parte membrorum compages sententiarumque commissura tam est laxa, immo tam hiulca ut novissimo editori, Ottoni Ribbeckio, aliquot lacunarum signa statuere visum fuerit, hac scilicet causa satis memorabili nec nimis reprobanda »non quia excidisse quaedam« putaverit sed ut variorum rhetorum in eodem themate versantium colores discerneret? Incipit igitur poeta

Defleram juvenis tristi modo carmine fata:
sunt etiam merito carmina danda seni.
ut juvenis deflendus enim tam candidus et tam
longius annoso vivere dignus avo.
Irreligata ratis numquam defessa Charonis
it redit in vastos semper onusta lacus.

Miror, fugisse interpretes, inter vv. 4 et 5 lacunam esse duorum saltem versuum hac fere sententia explendam: sic senex quoque exactis quidem annis sed iisdem rerum gestarum copia plenissimis cantu lugubri est dignus. Hanc apodosin et sententia flagitat et grammatica, quippe *ut* particula quae protasin inchoat vix haberet quo referretur, omissa illa apodosi. Poeta sui erga Maecenatem muneris causam hanc affert (v. 9 seqq.)

nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici:
Lollius hoc ergo conciliavit opus.
Foedus erat nobis nam propter Caesaris arma,
Caesaris et similem propter in arma fidem.

Igitur commilitium foedus junxit. Qua in re quae partes fuerint *Lollio* nescitur, nec, opinor injuria; aut enim magnopere fallor aut nullus est *Lollius* ille; quae lectio num vera sit etiam Ribbeckius dubitat et eo rectius quidem, quod *illius* quoque scriptura a quibusdam manuscriptis perhibetur. Quid autem veri est similius quam poetam amicitiam *inter arma bellique strepitum* natam tenerosque sensus inde efflorescentes *mollius* opus dixisse? Sed vel sic nondum locus est sanatus, *ergo* enim particula maxime friget post *Lollius*, immo intolerabilis est post *mollius* lectionem. Nec video, ad sententiam bene conformandam quid aptius cogitari possit quam

mollius hoc *Mavors* conciliavit opus —

optime scilicet durum belli antistitem mollioris dici operis conciliatorem nemo non videt. Ad litterarum similitudinem fateor aliam potius vocem desiderari; sed depravata vera lectione *mollius* in *Lollius* sive *illius* ne illa quidem mutatio religionem injicere potest. —

Maecenatis obtrectatores qui quod discinctus fuerit nimis acerbe carpebant postquam compellavit poeta, ita pergit v. 27 seqq.

num minus urbis erat custos et *carceris* (?) opses?
nuncubi non tutas fecit in urbe vias?
nocte sub obscura quis te spoliavit amantem?
quis tetigit ferro durior ipse latus?
Quid faceret? defunctus erat comes impiger idem
miles et Augusti *fortiter usque pius.*

Ibi cum Ribbeckio quod versuum par postremum vulgo post v. 38 lectorum huc transposuerit, non litigabimus; brevi autem monendum, primum, hanc medicinam, ubi semel in hoc carmine approbaveris, pluries esse adhibendam, tum vero, laxo et hiante omnino sententiarum nexu, ut diximus, posse pro cujusque vel sensu vel arbitrio plurimos versus locis quam maxime distantibus aeque bene poni et vero etiam, si tanti sit, defendi: hoc vero negamus Ribbeckium recte fecisse quod codices utique secutus scripserit: miles et Augusti fortiter usque pius, structura hac: fortiter defunctus erat idem comes inpiger et miles Augusti usque pius — ad verborum scilicet seriem tam contorte quam quod potest maxime. Immo scribendum erat (quod postquam legenti mihi sponte succurrit vulgo perhiberi vidi): miles et Augusti *fortis et usque* pius. Recte vero idem Ribbeckius versuum paria 53—54, 55—56 loca mutare jussit quorum utrumque quum eadem voce, »hic«, inchoaret, proclivis erat librario nescio cui error. Nec tamen vel sic salva est apud Ribb. scriptura:

Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
misit ad extremos exorientis equos.
Hic modo miles erat, ne posset femina Romam
dotalem stupri turpis habere sui.
Majus erat *potuisse* tamen nec velle triumphos,
major res magnis abstinuisse fuit.

Scilicet in primo versu ut oratio bene procedat sic est incidenda:

Hic tela (in profugos tantum curvaverat arcum)
misit ad extremos exorientis equos.

Quod nisi feceris, mittendi verbum et *in* et *ad* praepositiones adsciscit, deficiente praeterea conjunctione. In sequentibus perperam dictum est *potuisse* tamen nec *velle* triumphos, deest namque casus accusandi vel infinitivus quilibet a verbo *potuisse* suspensus. Ferri posset, ad sententiam quidem,

majus erat potuisse *frui*, nec velle triumphos — nec ipsa structura excusatione careret, sed litterarum ductus vehementer refragantur. Scribendum est si quid video

majus erat *patuisse* tamen, nec velle, triumphos,
majus et a magnis abstinuisse fuit.

Herculis exemplo ubi utitur poeta, ut demonstret post certamina fortiter feliciterque peracta mollius vitae genus non dedecori esse, ita pergit v. 81

Quis fore credebat, premeret cum iam impiger infans
hydros ingentes vix capiente manu?

Verborum autem in priore versu collocatio nullo codice nititur, sed est correctio ejus qui alteram editionem Aldinam curavit, nec opinor a sensu commendata, si quidem *jam* voculam ante *impiger* epitheton positam nemo est quin ad hoc ipsum sit relaturus, repugnante vel maxima sententia. Servanda igitur est verborum ordo quem codices praebent *cum jam premet* sive *cum jam premit*; utraque vero verbi forma quum manifesto sit corrupta, scribendum est aut cum Scaligero cum *rumperet* impiger infans, aut quod equidem propter *jam* voculam vix omittendam praetulerim

— cum jam *angeret* inpiger infans.

Sequitur versus, idem sine dubio corruptus

cumve renascentem *tereret velociter* hydram

ubi teste Burmanno Vossianus et Leidensis *feliciter* praebent, nonnulli codices, quod sane non magni est momenti, *terret* pro tereret. At neque *velociter* placet neque *feliciter*, displicet vero vel maxime *tereret*. An scripsit poeta

cumve renascentem *torreret letifer* Hydram —?

ad Herculem scilicet referens quod proprie ad operis socium Iolaum pertineret? Praeivit, ut video, sententiae partem Gorallus *velociter ureret* scribendo. Idem Hercules v. 85 seq. dicitur fregisse

— tribus adversis communem fratribus alvum
et sex *adversas* solus in arma manus,

Geryonem scilicet triformem. Sed quis unquam audivit *adversas* in arma manus? Corrige

et sex *conversas* solus in arma manus.

V. 107 seqq.

Argo saxa pavens postquam Scyllaea relegit
Cyaneosque *metus* jam *religanda* ratis,
viscera dissecti mutaverat arietis agno
Aeetis sucis omniperita suis.

Metus hoc sensu num ab auctore nostro satis latine dici potuerit dubito, immo, ut in Scyllaeis saxis, res ipsa, nude posita, requiri videtur scribendumque si quid video

Cyaneosque *fretus* (h. e. freta) jam *religata* ratis.

Pergit poeta:

His te, Maecenas, iuvenescere posse dicebat.
Haec utinam nobis Colchidos herba foret.
Redditur arboribus florens revirentibus aestas:
Ergo non homini quod fuit ante redit?

Sensus planissimus, sed labes inest versui postremo; quippe deest nomen quo referatur pronomen relativum *quod*, vix enim credibile est enuntiatum illud *quod fuit ante*, poetam snbjecti vicem obtinere voluisse cui dicere licuit *quæ*, scilicet *æstas*. Sensit hoc ipsum N. Heinsius scripsitque ingeniose *ver cur non* homini seqq., praeeunte particulam *cur* correctore Aldinae II. At displicet in Heinsii lectione *quod fuit ante* utpote non modo supervacuum sed vel maxime languidum, ut si vernacule diceres »der frühere Frühling«. Itaque suspicer corrigendum esse

robur non *homini*, *quod fuit ante*, redit?

In altera quae fertur Maecenatis elegia si tanti est aliquid suspicari — namque nullis neque dictionis neque sententiarum virtutibus eminet neque usquam ad carminis vere elegiaci altitudinem assurgit — non diffitendum est Ribbeckii rationem qua ille versus 23—26 »qui in singulari schedula additi sunt eadem manu qua antecentis elegiae v. 123 seq. in Brux. cod.« post v. 12 inseruit, non uno nomine commendari. Quamquam velim planius docuisset Ribb. cui sint loco additi ab altera illa manu; namque transpositio si a codicis cuiusdam scriptura esset munita multo tutior esset res. Hoc vero pro certo affirmaverim, in v. 24 labem traxisse orationem. Audiamus poetam inde a v. 11. ex Ribb. edit.

»mi tamen hoc satis est: vixi, te, Caesar, amico
et morior« dixit, »dum moriorque, satis
exemplum vixi te propter molle beati,
unus Maecenas teque ego propter eram.

Maecenatem constat molliori vitae generi indulsisse (conf. prior. eleg. v. 20 seqq.) et ad luxuriam fuisse propensiorem idque ipsum nostro loco ita excusat ut Augusto gratum se facturum instituisse dicat. Et *beati* quidem, quae est Salmasii correctio e codicum scriptura *beate*, recte se habere videtur habetque a numerorum ratione non exiguam commendationem, quippe perincommode ad aures caderet *ὁμοιοτέλευτον* in fine pentametri versus *molle beate*. Quae vero sequitur vox *unus* (v. 24) majore laborat corruptela, emendandumque

unctus Maecenas teque ego propter eram.

Molles atque delicatulos eosdem esse et audire *unctos* exemplis comprobare non opus. — Num dicere potuerit poeta in sequentibus

arbiter ipse fui, volui quod contigit esse.

pectus eram vere pectoris ipse tui —

vehementur dubito. Nam quid quæso est *pectus pectoris*? Novi quae quis ex vernacula nostra lingua possit afferre in comparationem cadentia sive potius speciem comparationis habentia, sed falsam illam. Sed taedet esse prolixiorem; scripsit, ni fallor, poeta

sensus eram vere pectoris ipse tui.

(Disputavit de superiore illo dicendi genere sive figura Hauptius in ind. lect. aest. Berol. 1859 p. 8 seqq.)

His si Tacitea quædam explendi non tam animi causa quam folii subjecero, nulla cum antecedentibus necessitudinis vinculo coniuncta nisi quod latinum utraque sermonem exhibent, veniam mihi spero paratam fore ex more illo apud Latinos scriptores passim obvio qui per lancem saturam »fortuito (ut de se ipse Gellius in præfat. noct. Attic. fatetur) usi rerum ordine, quæ libitum erat cujus generis cunque erant, indistincte atque promiscue« chartæ mandabant.

Taciti qui vulgo fertur de oratoribus dialogus ne post novissimam quidem quam Michaelis vir diligentissimus et accuratissimus in indaganda potissimum codicum origine et cognatione posuit operam, nimiam fortasse quippe in rebus saepe inextricabilibus versantem, ita habemus a librariorum mendis perpurgatum ut qui de verborum contextu passim mutando cogitet oleum et operam perdere videatur.

Nec ipsum Michaelem et qui eum secutus est G. Andresenium omnem rem ita sibi profligasse visos esse, ut dubitationi nullus jam locus sit relictus, ex lacunarum signis corruptelarumque quæ posuerunt probe perspicitur. Qui quod primo statim capite (vers. 9 ap. Mich.) *excipiendi* verbo (»quaestionis pondus excipere«) pro eo quod fere in hac locutione obtinet, *suscipiendi* scilicet, non sunt offensi, ut sunt a reprehensione tuti, siquidem et apud alios scriptores quamvis raro hæc duo verba vices permutant, ita in sequentibus non debebant, ni fallor, ferre hunc verborum ordinem *si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum* . . . . *hominum sermo repetendus esset* pro eo qui usu sancitus est *mea mihi*. Quodsi eodem capite auctor profitetur se quæ homines illi disertissimi disputaverint *iisdem nunc numeris iisdemque rationibus* persecuturum esse, facillime quidem quæ sint *rationes* intellegitur, qui vero *numeri*

haud item, siquidem numeri sunt poetarum sive metricorum, nisi forte et ordinis dicas numeros esse. Sed huic defensioni obstant si quid video addita verba *servato ordine disputationis*, nec scio an quæ vulgo obtinent locutiones »*omnibus numeris perfectus, absolutus*« simil. non valeant ad locum nostrum ab omni suspicione vindicandum. Ferrem, si Tacito dicere placuisset *omnibus* numeris persequar: quæ enim verba in certam abierunt stabilemque dicendi formulam atque consuetudinem non possunt pro scribentis lubidine vel abjicere membrum vel asciscere. Igitur numeri, si ferri debent nostro loco, non possunt esse (quod Bœttichero in lex. Tacit. videtur) *partes*, debent esse *pondera* (conferas vulgatum »in aliquo numero esse«), sed vel sic insolenter scripsisse Tacitum fatendum est, ut tam proclivis sic dubitatio quam difficilis emendatio, nisi forte genuinam lectionem fuisse censemus IISDEMNUNCUERBIS ex eaque adverbii potissimum *nnnc* ergo labem traxisse vulgatam.

Init. cap. II verborum *nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur, tanquam in eo tragœdiæ augumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset* cum recte Sauppius intellegeret (Philol. Leutsch. XIX p. 263) non bene constare sententiam nisi cum negatione prolatam, hanc ipsam censuit interceptam esse verborum *tanquam non in* collisione et sic emendavit. Recte quidem ad sensum, ad formam vero qui diligentius attenderit inter verba *argumento* et *sui* adverbium *vix* haustum fuisse haud scio an probabilius conjiciat. —

Cap. III v. 20 *clientelæ, quibus vix suffeceris, etiam si non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem id est nostras quoque historias et Romana nomina Græcorum fabulis aggregare.* »Negotium importare« non erat quod Acidalio suspicionem moveret eumque ad corrigendum impelleret: negotium *imperasses;* quo verbo propius ad litterarum ductus accedit *imperitasses* nec sane longius abest *impertisses.* Sed vel Ciceronis auctoritate munitum est illud *negotium importare*; in hoc autem ipso enuntiato *aggregare* cum codicum sit lectio, ex Pithoei emendatione *aggregares* locum in editionibus occupavit. Nescio an scriptoris manum probabilius restitueris corrigendo: Græcorum *ut* fabulis *aggregares.* Magis enim credibile haustum fuisse *ut* particulam quam Imperf. Conj. in Infin. mutatum.

Cap. V, v. 4. *Ipsum solum apud eum arguam quod natus ad eloquentiam .... qua parere simul et tueri amicitias, adsciscere necessitudines, conplecti provincias possit, omittit studium.* »Conplecti provincias« quid sibi velit ut est facile ad intellegendum, ita quo exemplo dicatur vix dixeris et eo magis mireris editores intactos reliquisse locum, quod Codex Vaticanus D, qui est ex praestantissimis, stellula post *conplecti* appicta corruptelam significavit. Quae an sit in lacuna quaerenda an in ipso conplectendi verbo, non decerno; conplecti *beneficiis* provincias vel simile quid quominus conjiciamus obstare videtur orationis aequalitas in verbis

eorumque casibus acquiescens, nullo praeterea additamento quale est *beneficiis* adscito. Sed praestat missa aequalitate latine dicere quam observata infringere latinitatem.

C. VI, v. 12. *Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes id quod optimum sit se non habere.* Acidalius *veteres* e textu eliminavit neque ille injuria, quippe juxta senes ferendi non sunt. His ipsis vero senibus ut cum Hauptio *senatores* substituas, nihil opus, sexcentis enim locis senes pro senatoribus apud scriptores occurrunt. Nec tamen ipse Acidalius locum videtur, persanavisse; sententia epitheton aliquod *hominum* quale id cunque est flagitare videtur quia præter senes et gratia subnixos relinquitur sat magnus eorum numerus, quibus in votis est vis dicendi. Ergo crediderim pro *veteres* scribendum, esse *divites.*

C. VI, v. 39. *Nam in ingenio quoque sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quæ sua sponte nascuntur. Diu* quid sibi velit haud facile dicas. Quippe opposita sunt quæ sua sponte nascuntur serendis, quibus nihil cum longitudine temposis *(diu)* commune est. Tacitea elegantia per hunc dialogum vel in minutulis conspicua et æqualiter fusa compositum velut *conserantur* flagitare videtur, ad exemplum *elaborandi,* sed illud quomodo abire potuerit in *diu* serantur non video. Igitur in aperto corruptela, non item medela.

C. VIII, v. 20. Marcellus Eprius et Crispus Vibius artis oratoriæ principes cum dicantur *per multos jam annos potentissimi civitatis ac donec libuit principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitia* agere, haud scio an *libuerit* (Fut. exact.) a scriptore sit profectum quia qui *jam* potentissimus est civitatis, vix alio modo principatum retineat nisi ut in foro regnet, utrumque vero hunc principatum volentem deposuisse *(donec libuit)* vix credibile. Uterque a Vespasiano *cum quadam reverentia* diligitur, *quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intellegit ceteros quidem amicos iis niti quæ ab ipso acceperint ..... Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam quod non a principe acceperint.* Patientissimum fuisse veri Vespasianum, ut credibile, ita nihil ad rem, quamobrem ad sensum sane recte Acidalius emendavit *sapientissimus vir.* Equidem hanc ipsam sententiam inesse arbitror leviori mutationi *prudentissimus* veri, tam frigidum enim et argutum *senis* et *viri* discrimen Tacito non imputandum esse arbitror.

C. X, v. 25. *Ut si in Græcis natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est... non paterer immanes istos et ad pugnam natos lacertos levitate jaculi aut iactu disci vanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera prœliæ voco.* Notabile, hujus enuntiati quodvis membrum bipartitum efferri (immanes et ad pugn. natos lacertos,

levitate jaculi aut jactu disci, ab auditoriis et theatris) excepto ultimo, quod tripartitum struxisse scriptorem quis credat? Taciteam in antithesium et oppositorum æquabilitate summam diligentiam consideranti res prorsus incredibilis. Accedit, quod juxta *forum* et *vera prœlia* prorsus putida est *causarum* mentio. Igitur *causis*, utpote glossemate, ejectis scribendum sine dubio *in forum et ad vera prœlia voco.*

C. X, v. 43. *Nobis satis sit privatas et nostri sæculi controversias tueri in quibus expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere et probata sit fides et libertas excusata.* Fuere qui haererent in *expressis controversiis*, nec injuria, quippe quæ locutio ut per se ipsam ab usu non commendatur ita suspectior fit eo quod syntaxis gerundivum *exprimendis* desiderat. Quanquam nihil proficitur ejiciendo (quod Heumanno placuit) nec magis inserendo quod excidisse videri possit quodque egregie ad sententiam facit *verbis* probabilitatis punctum omne feras. Pro *expressis* autem *verbis* quidni adverbio satis usitato et ad sententiam aptissimo *expresse* Tacitus usus fuerit? In his certe *in quibus expresse si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere* non modo offensionem nullam habet hyperbaton, sed si quid video magnam commendationem.

C. XII, v. 7. *Hæc eloquentiæ primordia*, *hæc penetralia*; *hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus in ista casta et nullis contacta vitiis pectora influxit.* Sermo est de poesi omnis eloquentiæ fonte atque origine, veræ scilicet et placidæ, non recentioris illius et sanguinantis. Hæc qui *commoda* mortalibus dici possit non assequor, quod idem accidisse video Mureto *commendata* conjicienti. Multo autem propius abest et a scripturæ vestigiis et a sensus integritate *commodata* participium, si quidem deorum quasi munere mortalibus in sedibus sacris obtigit eloquentia. De quo verbo conf. Böttich. lex. Tacit. s. v.: »Apud alios etiam hujus ætatis scriptores *commodare* amittit peculiarem significationem .... in universum magis accipiendum pro *adhibere*, *dare*. V. exempla apud Forcell.« Sequuntur corrupta, v. 17, *nec ullis aut gloria* † *more**** aut augustior honor*, ubi post *more* in ipsis codd. lacuna est indicata. Et J. Lipsius quidem præivit *maior*, quo facto quamvis emendatio a probabilitate maxime commendetur, locunæ spatium vel addito *erat* non expletur, ut scribendum videatur *gloria maior contingebat.*

Ibid. v. 22. *Vel si hæc fabulosa nimis et conposita videntur, istud certe mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec augustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiæ aut Hyperidis includi.* Prioris apodosis verbum casu quodam interceptum esse et dicendi consuetudine evincitur et vero etiam alterius apodoseos (cuius rei observantissimus est Tacitus) parilitas. Quale fuerit et quo loco inserendum, haud definiam. An *non minorem honorem* **haberi** *Homero?* Possis quoque: *non min. honorem Homero quam Demostheni* **tribui**.

C. XIII, v. 13. *Nam Crispus iste et Marcellus .... quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent an quod timéntur? quod cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus præstant **** indignantur? quod adligati omni adulatione nec imperantibis unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi?* Sensus flagitat aut quod Lipsius proposuit **non** *præstant* aut simile aliquid, nam quod Michaelis putat *quibus praestant perinde et quibus non praestant* Tacitum fere scripsisse re ipsa reprobatur. Quid enim indignentur quibus advocati præstant? Equidem a scriptore profectum esse arbitror: quibus præstare *negant*, tum postrema verba casu quodam et quidem minime prodigioso in unum isse conflata. Nec suspicione caret *omni adulatione* quæ Waltheri est pro codd. lectione *cum* emendatio. Nam neque *canum* quod Haasio visum, neque *humili* quod Schultingio placuit, a tradita scriptura longius recedunt. Ego verum esse arbitror quod proxime ad illam accedit *communi*.

Ibid. v. 20. *Me vero ... Musae remotum a sollicitudinibus et curis ... in ista sacra istasque frondis ferant, nec insanum ultra et lubricum forum famamque palantem trepidus experior.* Haec e Hauptii conjectura Michaelis pro communi codd. lectione *istosque (illosque) fontes* in textum recepit. Quae si vera est (quod valde dubito) ne *sacra* quidem non praeter morem dicta sunt. Exspectatur enim loci, ubi gignuntur frondes, mentio ut efficiatur figura *τοῦ ἓν διὰ δυοῖν*, velut *arbores et frondes* pro *arborum frondes.* Putidum enim sonant *frondes* cum *sacris* copulatae et in unam quasi notionem conflatae, quippe quibus verbis nihil inest communis necessitudinis. Igitur *istos* et *ista* pronomina (ita enim, non *illos* legendum) quum ex vulgari illa notaque dicendi consuetudine dicta sunt, ad sedes sacras lucosque sunt referenda quorum bis facta est mentio (IX, v. 37 et XII, 7). Igitur nescio an probabiliter conjicias post *sacra* propter ultimae repetitionem quam *ὁμοιοτέλευτον* dicunt excidisse *nemora.* Jam vero quum nemorum fontiumque arctissima sit, nec apud Latinos solum, conjunctio, non video cur praeter necessitatem frondes fontibus substituamus. Scribendum igitur videtur *in ista sacra nemora istosque fontes ferant*, ubi *in* praepositioni, ad fontes relatae, venia ni fallor a zeugmate parata est, ut taceam »eandem dicendi rationem saepius apud Tacitum exprimere *ad* et *in* praepositiones« (conf. Boettich. in lex. Tacit. p. 21 plurimis hanc rem exemplis illustrantem). In seqq. *famam palantem* fuerunt qui in suspicionem vocarent; quorum Michaelis *fallacem* proposuit. Ego arbitror, defendi posse lectionnm, palantur enim, qui hunc modo modo illum locum adeunt, ut fama dicatur palari quae uno homine relicto ad alterum transeat. Quod si cui argutius quam verius dictum videbitur, hunc *labantem famam* amplecti jubeo.

C. XV, 6. *Malignitatis opinionem non verebaris* — quis non videt a Latinitatis parte optime se habere? at a tradita codd. lectione non item, quippe quorum optimi malignis iis

(A B) maligni iniis (C) maligihiis (D) maligni in his (E) exhibeant. Unde expiscandum esse patet non *malignitatis*, quod inde a Rhenano editiones occupat, sed *maligni hominis*, quod vocabulum scribendi compendiis in has formas depravari potuisse vel leviter harum rerum notitia tinctus non mirabitur.

C. XVI, 27. *Quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum referas fortasse longum videatur, si ad naturam saeculorum ac respectu immensi hujus aevi perquam breve et in proximo est.* Haec oratio a Tacitea elegantia quam maxime abhorrere mihi videtur. Quid? tam supinae neglegentiae politissimum scriptorem insimulandum esse ut fuderit *ad naturam saeculorum ac respectu immensi aevi referas?* Non ita. Accedit quod *respectu* conjecturae tantum (Spengelii) proclivi sane originem debet; quartum enim casum *(respectum)* codd. exhibent, qui mihi quidem non dubium est quin depravatus sit ex *spatium*, ita quidem ut pro ACRESPECTUM genuina scriptura fuerit ATQUE SPATIUM.

C. XVIII, v. 28. Brutum a Cicerone *otiosum atque diiunctum* audiisse tamdiu persuaderi mihi non patiar, dum aliquis epitheton illud *ἅπαξ*, quod video, de oratore *λεγόμενον diiunctum* — non quidem altero exemplo stabiliverit (nam neque *discinctum* quod unice verum arbitror apud Ciceronem inter terminos quos dicunt artis oratoriae invenitur) sed hoc loco aptum et *otioso* bene additum esse mihi probaverit. Qui otiosi sunt iidem discincti, qui discincti iidem otiosi. Nec sane erat difficile in hoc participium incidere nec mirabar, alios quoque (quod sero videbam) idem proposuisse: hoc miror, Michaelem ne operae quidem pretium duxisse huius conjecturae ut mentionem faceret.

C. XXI, v. 20. In Caelianis orationibus .... *nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem rerum et verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem.* Ibi quum priores editores fere omnes pro codicum scriptura corrupta *sordes autem regule* emendationem nescio cujus *sordes autem illae* amplexi essent, felicissima conjectura Michaelis *sordes autem rerum et* eruit. Fieri tamen potuit, ut Tacitus scripserit quod a litterarum ductibus propius abest et cum sententia optime constat *sordes autem rejiculae.* — In sequentibus (v. 25) singulariter sane dictum de C. Caesare eum *propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia* effecisse *quam divinum eius ingenium postulabat*, ubi exspectaveris potius *quam eius ingenium* **pollebat.**

C. XXV, v. 23. *Omnes tamen* (h. e. optimus quisque priorum oratorum) *eandem sanitatem eloquentiae ferunt.* In his eo magis offendor simplici illo *ferunt* (quod nescio an non possit commode, ne ex Taciti quidem consuetudine, explicari) quod optimi codices *serunt.* exhibent. Jam oculis perlustra litterarum texturam nullis diremptam interstitiis, dicesque facillime potuisse fieri ut voculae *prae se* haustae fuerint, quarum vestigium relictum in *s* (serunt)

C. XXVII, v. 13. *Non sum, inquit offensus ... nec vos offendi decebit ... cum sciatis hanc esse ejusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre.* Postrema verba dum aliquis me doctior probabiliter explicaverit, equidem confidenter quod sententia flagitare videtur, repono *iudicium animi citra damnum* **cum affectu** proferre.

C. XXXI, v. 35. *Neque enim sapientem informamus + neque Stoicorum civitatem sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare leviter debet.* Locus codd. discrepantia notabilis, quorum optimi pro *civitatem* exhibent *citem* (A) *artē* (B, civitatem in margine) unde *civem* effecit Doederlinus. Sed recte Michaelis animadvertit, videri sententiam flagitare *ex Stoicorum mente* vel *secundum Stoicorum arbitratum* vel *severitatem* (scil. *sapientem informamus*). Fortasse ex conjuncta codicum lectione eruendum est *neque Stoicorum arte exercitum.*

C. XXXII, v. 6. *Deinde ipsa multarum artium scientia ... nos ornat atque ..... eminet et excellit, idque non doctus modo et prudens auditor sed etiam populus intellegit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros iisse, ut denique doctum oratorem fateatur.* Oratio, si quid video, inconcinna. Quid enim laude prosequitur populus? Si recte oratio habet, *id*; at non quadrat *id* cum sequentibus quae non ad oratoriam artem sed ad personam oratoris ipsam spectant. Cui asperitati ut medear, post *prosequitur* insero *eruditum*, quod vocabulum cur facillime potuerit excidere non opus est ut pluribus persequar.

C. XXXV, v. 1. *At nunc adolescentuli nostri deducuntur in + seni scholasticorum qui rhetores vocantur.* Pro corrupta codd. lectione *seni* (A) *sein* (C E) *sem* non facile dictu quid sit scribendum; *scholas*, quod proposuit Lipsius quamquam sententiae optime convenit nimium recedit a litterarum specie, *scenas* autem quod voluit Rhenanus, a dicendi usu non commendatur si quidem quae publice fiunt et in omnium conspectu in scena dicuntur agi, quod contra est in rhetorum umbraculis. Equidem arbitror intercidisse sive truncatas esse *officinas*, quo verbo et rhetorum et philosophorum scholas Cicero designat (conf. Leg. I, 13, Or. 12).

C. XXXVI init. *Magna eloquentia sicut flamma materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit.* Excidit ex comparatione flammae *clarescit*, quam comparationem ut plenam et integram restituamus scribendum, ni fallor, *urendo* **calescit.**

C. XXXVII, v. 40. *Nam quo quis saepius steterit tanquam in acie quoque plures et intulerit ictus et exceperit .... tanto altior et excelsior et illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est ut * * secura velint.* Vi comparativa participii *nobilitatus* inviti caremus eo magis quod ceteris epithetis est addita; at facile caremus *illis.* Alterum igitur alteri substituendum esse censeo scribendumque: *magis* nobilitatus discr. —

In sequentibus postquam lacunam indicavit Agricola, certatim in explenda periclitati

sunt homines docti, ex quibus quae Ritterus conjecit *ut aliis dubia, sibi ut secura velint* ad verum proxime mihi accedere videntur, nam quod Schopenus proposuit *ut ancipitia, non secura velint,* equidem vix arbitror communem hominum naturam ita potuisse a scriptore censeri ut ancipitia securis praeferat, sed ut ipsi, quum dubiae res in conspectu sunt, agere securi velint. Quam sententiam si scriptor his verbis extulit *ut dubiis interesse securi velint* fieri sane potuit, ut syllabarum *se* collisione, alterius verbum terminantis, alterius incohantis, oculis scribentis ad alterum aberrantibus hausta sint verba *dubiis interesse*, unde et labem traxit *securi.*

C. XXXIV, v. 3. *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse paenulas istas quibus adstricti et velut inclusi cum indicibus fabulamur.* Posterioris temporis oratores vestimenti quodam genere diversos fuisse a prioribus quantum scio aliunde non constat, quod ut ita sit, tamen non facile dixeris quomodo valere potuerit ad debilitandam atque deprimendam artem oratoriam; mihi quidem aliquid corruptelæ subolet reputanti in luce publica versari solitos esse priores, posteriores autem in umbris fere ædium causas dixisse, oriturque suspicio scripsisse Tacitum *pergulas istas.*

Ibid. v. 27. *Itaque Hercule ejusmodi libri exstant ut ipsi quoque qui egerunt non aliis magis orationibus censeantur.* Aut vehementer fallor aut hiat oratio Tantam enim fuisse oratoriam famam scriptor ait ut vel rerum gestarum gloria fuerit potior, hoc est, *ut ipsi quoque* (= etiam) *qui egerunt* (= res gesserunt) *non aliis magis* **rebus quam** *orationibus censeantur.* Exciderunt igitur verba *rebus quam.*

C. XL. init. *Jam vero contiones assiduæ et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione aut L. Sulla aut Cn. Pompeio abstinerent et ad incessendos principes vivos, ut est natura invidiæ, populi quoque, ceu histriones auribus † uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant!* Locus corruptus et variis modis non tam temptatus quam vexatus, qui, nisi eximie fallor, levissima mutatione nec fere nisi recte interpungendo in integrum restituitur. Scribendum enim et distinguendum *cum.. plurimi disertorum .... ad incessendos principes viros, ut est natura,* **invidia** *populi quoque,* **ut** *histriones auribus, uterentur.* Utuntur enim ad plausum ferendum populi auribus histriones, populi invidia oratores, hoc est: oratorum invectivæ ut populi, potentissimum quemque perosi, invidiæ abblandiuntur, ita histrionum consummata actio ejus auribus. (Codd. pro *ut* exhibent *et*, pro *invidia* casum secundum).

Ibid. v. 9. *Sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiæ... comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax temeraria arrogans.* Servituti hic nullum esse locum patet. Sed neque *severitatis* (quod verbum legitur in Cod. Paris.) defectus cum ceteris eloquentiæ probris bene quadrat. Puto *sine suavitate* esse genui-

num, quippe quo idem fere notatur, quod sequentibus adjectivis *arrogans* et *contumax* vitio ei datur. —

Ibid. v. 15. *Quarum civitatum* (Lacedaemoniæ et Cretensis) *severissima disciplina et severissimæ leges traduntur.* Vix putaverim Tacitum, religiosissimum quippe scriptorem, hanc ejusdem epitheti repetitionem admisisse, cui dicere licuerit verbo quo nullum ad Lacedæmoniorium mores designandos frequentatius *austerissima disciplina* seu mavis *austerissimæ leges.*

C. XLI. init. *Sic quoque quod superest antiquis oratoribus fori non emendatæ nec usque ad votum conpositæ civitatis argumentum est. Quid enim? quod nemo nos advocat nisi aut nocens aut miser. quod municipium in clientelam nostram venit?... Quam provinciam tuemur?...* Tacitus (seu potius Maternus) postquam demonstravit, eloquentiam quæ vere ita dicatur rem quietam et pacatam non pati, eoque existere valentiorem, quo quæque civitas discordiis et contentionibus magis sit agitata, rerum quoque, ut par est, Romanarum meminit. Jam vero quæ dicit *quod supercst antiquis orationibus fori* scriptoris manum referre non mihi videntur. Quales enim quæso antiqui sunt oratores? Non *sunt* antiqui, sed fuerunt, nec superesse possunt antiqui homines (nisi qui figurate dicuntur), supersunt ex antiquitate *res*. Itaque arbitror scribendum *sic quoque quod superest* ex *antiquis* **rationibus** *fori.* In proxime sequentibus qua utitur scriptor interrogationis forma documento est, fuisse simpliciter *Quis enim nos advocat?* quam ipsam formam codices duo bonæ notæ (C D) praebent. Scilicet ceterorum lectio, nec ipsa sibi constans, ex glossa quam dicunt est orta, ad explicandam illam interrogationis speciem simulatam magis quam veram vel margini adscripta vel contextui superscripta. Scilicet erat *quis enim?* [*idem quod nemo.*]

